

קרוב & *propinquum est nomen tuum*:) plerique causaliter hoc accipiunt, ut Junius, Piscator, Lutherus, Brentius, Muis: *QUIA propinquum est nomen tuum*, h. e. quia praesentiam tuam abundè comprobasti auxilio mirabili ac tempestivo. Quorsum accommodari posset illud *Psalm. XXXIV*, 19. **קרוב** Dominus fractis corde: *Psalm. CXLV*, 16. **קרוב** Dominus omnibus invocantibus eum. Vel juxta *Brentium*, quòd nomen tuum sit revelatum. Verùm cum copula *Vav* significatus proprius citra necessitatem sic deferatur, commodius erit, per epexegefin, cum *R. Salomone* hanc nominis propinquitatem interpretari de frequente nominis DEi devotè laudati repetitione, quomodo *Jerem. XII*, 2. dicitur (sinistro licet sensu:) **קרוב** propinquus tu es in ore ipsorum, & longè à renibus eorum: conf. *Psalm. CXIX*, 151. propinquus es Jehova, &c. Hinc *Vulgatus* & *LXX*. *invocabimus nomen tuum*. Vel copula *Vav* designat, quid celebrationi illi conjunctum, aut eandem subsequutum sit; juxta *Campensem*: *laudibus extollere te capimus, DEus, laudibus, inquam, extollere te capimus, & pro beneficiis accepti gratias agere, & continuo sensimus praesentiam nominis tui.*

ספרו *enarrant*:) impersonaliter hæc tertia persona nominativò carens commodè redditur, man erzehlet; sicut in primà versione *Lutheri*, *verkündigt man deine Wunder* / q. d. *narrant*, quotquot narrare possunt, commune hoc fidelium tuorum est negotium. Quomodo *Esth. II*, 2. **בְּקִשְׁתִּי** man suche dem Könige. *Psalm. LXVIII*, 25. **וְיִשְׁבְּ** man siehet. *Psalm. LXIX*, 35. **וְיִשְׁבְּ** daß man wohne. Hoc ipsum verò **ספרו** innuit recensitionem operum DEi admirandorum devotam, & cum peculiari oblectatione conjunctam; quomodo in eadem hacce materià ipsum reperitur *Psalm. XLIV*, 2. *LXXIII*, 28. *XXVI*, 7. *IX*, 2. 15. &c. *Genebrardus* supplet: *propinquum est nomen tuum*, (iis, qui) *narrant* &c. cui tamen accentuatio obstat. *Rasche*: *narraverunt* (generationes nostræ:) quod ipsum cum impersonali acceptione facile conciliatur. *Campensis*: *quare commemorabunt, quotquot viderunt, quam miris modis nobis adfuertis contra hostes nostros*. *LXX*. personam numerumque posthabentes, reddiderunt: **דִּנְגִּימוּמִי**, *narrabo*. *Vulgata* pluralem, sed non personam retinens, habet: *narrabimus*; quò cum faciunt *Arabs* & *Syrus*. Verùm literam ebræam refert etiam *Chaldaus*; à quâ recedere, religio nobis est meritò. Adde *Boblii* versionem: *es habens deine Wunder weit anders gelehret*: nimirum accipit miracula tanquam nominativum, vel subiectum enarrans; *mirabilia tua nuntiaverunt*. Verùm contra *Davidis* morem, qui communiter hæc *mirabilia* memorare solet tanquam narrationis materiã seu objectum; non verò subiectum, v. g. *Psalm. IX*, 2. *XXVI*, 7. *XL*, 6. *LXXI*, 17. *CXIX*, 27. *CXLV*, 5 &c.

נפלאותיו *mirabilia tua*:) quàm sapienter, scilicet fortiterque, contra & præter spem omnium, tuum juveris populum, puniveris hostes, regem Davidem evexeris ac confirmaveris in regno, &c. Vide *Psalm. IX*, 2. & *XXVI*, 7.

EXPLICATIO VERSUS III.

כי *cum accepero*:) particula hæc non causalis est conjunctio h. l. sed adverbium temporis, ut alibi sapius.

מיער *conventum*:) h. e. cum ego *David*, peculiari DEi gratiã ad regnum evectus, instituero certum ac solenne iudicii exercendi tempus, cum certò in locò, praesentibusque reliquis conventus assessoribus, exequi licebit regale munus. Vel cum sedem **מיער** *tabernaculi* conventus occupavero, plenarius *Israelis* totius rex factus, &c. sic namque **מיער** accipi tum de tempore, tum locò, peculiariter ad aliquid destinatò, tum de personis illic coactis, ostensum est *Psalm. LXXIV*, 4. Plerique, ut *Calvinus*, *Bucerus*, *Gesnerus*, *Bellarminus*, *Muis*, *Höpfnerus*, dialogum inter *Ecclesiam* & *DEum* hic statuentes, accipiunt hæc tanquam verba DEi, promittentis suo tempore iudicii justum exercitium. Verùm cum nihil absurdi emergat, si in continuò tractu hæc tanquam *Davidis* in regnò fidelitatem promittentis verba accipiamus, cum etiam enunciata hæc alibi tributa legantur *Davidi*, itemque *David* ad *DEum*, demum sermonem convertat *vers. 8. seq.* nec non succisionem cornuum impiorum polliceatur, *vers. 11.* ideòque vix improbanda videtur sententia eorum, qui de *Davide*, in conventu solenni iudicium justum promittente, dicta hæc esse volunt. Sic *Piscator*, *Junius*, *Coppenius*, *Belge*, *Amama* *antib. pag. 754.* Omnium tamen optimè & *Brentius* hoc dictum censet in personã *Mesiaz*, ecclesiam consolantis contra furorem hostium, à iudicii potestate datã sibi à patre, &c. ita & *Genebrardus*, *Coccejus*, &c. Adeòque **מיער** commodissime referri poterit ad determinatum exilii terreni, vel exinanitionis tempus, quò superatò aderit **מיער** *commoditas* exercendi regni ad dextram Patris, &c. *Lutherus*: *zu seiner Zeit*: prius: denn ich werde bestimmte Zeit nehmen. *Piscator*: *cum accepero conditum munus*, i. e. regnum *Israel*. Ita & *Lud. de Dieu* *anim. h. l. cum accepero promissum*; videlicet regnum: cum **מיער** significet quidque, quod promissum vel conditum est, sive locus, sive tempus, sive res, &c.

מישרי *rectitudinibus iudicabo*:) h. e. justissimè tum decidam, tum res decisas exequar. Est hic ellipsis præfixi (**כי**) *in rectitudinibus*, i. e. rectissimè, justissimè: *pag. 149. n. 1.* Similisque hic planè phrasis est, quæ *Psalm. LVIII*, 2. **מישרי** *rectè* iudicatis vos filii hominum? plenè ponitur *Psalm. IX*, 9. Dominus iudicabit populos **מישרי**. Opponitur autem hocce iudicium rectum iudicio *Saulis* aliorumque magistratum iniquorum perverso, quò ex proso-polepsiã munerumque aut commodorum aliorum amore, nec non affectuum impetu importunò, vel negligenter vel malitiosè causas tractabant, innocuos premendo, vel saltem non liberando, fontes autem impunè dimittendo, &c. Iudicium extremum hic indicatum censet *D. Gerhard.* tom. 9. *jud. extrem. §. 12. pag. 22.* item *Genebrardus* h. l. & *Tirinus*. Quod ipsum tamen cum subsequens non adeò videtur cohærere, cum potius regnum gratiæ, quàm gloriæ describeretur inibi.

משפט *iudicabo*:) h. e. iudicis boni exequar partes; non enim unicus designatur actus, sed officium ipsum.

EXPLICATIO VERSUS IV.

נמוגי *dissoluta sunt terra & incolæ ipsius*:) h. e. ingens ubique visitur confusio ac perturbatio,